



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Iesvitarvm Assertiones, Ex Epistola Priori Divi Pavli ad Timotheum, in Schola Dilingana disputatas, quibus totum Papatum stabilire conati sunt, pia responsio

**Bidembach, Wilhelm
Osiander, Lucas**

Tvbingæ

VD16 B 5358

Vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36892

50 AD ASSERTIONES IESVI-
verò tanq; historicum testimonium non grauatim,
imò grato animo amplectimur Origenis, Augusti-
ni, & totius piæ vetustatis suffragia, quæ ab Apos-
tolorum temporibus ritum baptizandi infantes in
Ecclesia viguisse testantur. Tantum hoc cœuemus,
ne parietes & tectum fundamēti loco substruamus,
quod à Iesuitis absurdè factum liquet.

I E S V I T Æ.

*Ut milites in illis bonam militiam, ha-
bens fidem & bonam conscientiam.*

VI.

Matt. 19.
Rom. 6.13.
Ephes 6.
2. Tim. 4.

*Vt non satis est militi, non dico ad coronam, sed neq; ad
stipendium merendum, sacramento militie obligatum esse, ac
stationem à Duce assignatam habere, si militarem contemnae
disciplinam, & ociose tradat, dum est cum hoste configendum,
ita nec Christiano viro sufficit, baptismi Sacramentum suscep-
isse, habere fidem, & in aliquo gradu posicium esse, si ea negli-
get, quæ Léx Christi præcipit, & suscepta vita ratio postulat,
quod est bona conscientia carere. Si enim sola fides sufficit,
cur Apostolus Christianos ad militiariories animas & armis
varijs instruit?*

R E S P O N S I O.

Nihil est magnopere, quod in hac Thesi repre-
hēdamus, nisi quod calumniā nobis impingūt,
quasi fidē doceamus inanem et mortuam, quæ fructu
bonorum

bonorum operum careat: quasi item SOLA M fideis
ad totam vitam Christiani hominis sufficere arbit-
ratur. Sed plus nullies à nostris demonstratum est,
nec fidem veram posse esse sine operibus, nec vnoq[ue]
solam esse, sed tamen solam iustificare, non alia ra-
tione quam quia sola est idoneum instrumentum
apprehendendi & applicandi Christum cum suis
meritis. Et licet ad iustificationem hominis coram
Deo, SOLA, SOLA, inquam, fides, hoc est, exclusis o-
perum meritis sufficiat: tamen ad totam vitam hos-
minis Christiani, & conuersationem eius in his ter-
ris inter homines, nequaquam sufficere: quia fides qui-
dem cum Deo agat, charitas autem cum proximo: &
quæ fidei manu homo à Deo acceperit, eorum frus-
ctus altera manu charitatis inter homines distribu-
at. Particulam autem, SOLA, qua in doctrina Iustifi-
cationis utimur, nō ipsi finximus, sed ex equipollentiis
bus Pauli phrasibus dīdicimus, hausimus, arripui-
mus, expressimus. Quid enim aliud est: Arbitra-
mūr fidei iustificari hominem, ABSQUE operibus le- Rom. 3
gis. Et denuo: Ei qui NON OPERATVR, sed credit
in eum, qui iustificat impium, imputatur fides sua
ad iustitiam. Et alibi: Scimus non iustificari homi- Gal. 3
nem ex operibus legis, NISI per fidem Iesu Christi.
Et rursus: GRATIA estis seruatí per fidem, idq[ue] NON Ephe. 2,
ex vobis, Dei donum est, NON EX OPERIBVS, ne
quis glorietur. Quid, inquam, hæc aliud sibi volunt,
quam, SOLA fide hominem iustificari? Imò, si quis
rem exactius consideret, videbit Paulinas loquutio-
nes opera fortius negare & excludere ex iustifica-
tione, quam nostram particulam, SOLA, qua ideo-

G ij etiam

etiam libentius utimur, quod vetustis Patribus usitatam fuisse scimus. Nam neque Origeni, Athanasio, Hilario, Ambrosio, Basilio, Hieronymo, Chrisostomo, Hesychio, Arnobio, Sedulio, Theophilacto, Haymoni, Bernhardo displicuit: neque Glossa ordinaria, Thomas Aquinas, Lyra, Bonaventura, Erasmus Roterodamus, & Iacobus Sadoletus abhorserunt.

IESVITÆ.

Quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.

VII.

2. Tim. 2.

Heb. 11.
1. Cor. 13.
Jac. 2.

Igitur qui bonas actiones contemnendo, & pravae admittendo, bonam repellunt conscientiam, viam ingrediuntur periculosa, in qua mirum non est, si fidei naufragium faciant. Horum è numero sunt Hymenæi, hoc est, nuptiales & voluptuarij homines, maximè qui contra fidem Deo datam, hodie nupturiunt: Sunt & Alexandri, nempe arrogantes, & contentiosi homines. Nec leuiter attingendum, quod Apostolus lo Fides similis est naui: ut enim nauis ita est ad merces vehendas necessaria, ut illis vacua esse possit, nullamq; domino utilitatem adferre, sic & fides necessaria quidem est, ad bonas actiones inferendas in cælum, sine illis (otiosa etamen & inutilis) esse potest.

RESPONSIO.

In

